



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parallelia Geographiae Veteris Et Novae

Briet, Philippe

Parisiis, 1648

Nvm. 7. Funera.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13147

N V M. 6. Viētus.

1. Sedendo cœnānt in solo super pellibus luporum & canum in medio præstantissima sedes, *Strabo, Diodorus*. At eis thoros etiam assignat *Diodorus*.

2. Ministrant eis iuniores in ætate tenerâ, & hi vasa bibentibus circumferunt, *Strabo*.

3. Multis patinarum loco sunt canistra lignea, vitilibus contex-ta. Bibunt autem in vasib⁹ fictilib⁹, aut argenteis instar ollæ.

4. Panem fermento leuorem faciunt, *Plinius*.

5. Delectantur suillis carnibus tum recentibus, tum salitis. Item & feris quas sagittis interficiunt illitis veneno, sic enim earum carnes fieri teneriores arbitrantur, sed illicò vulnus circumcidunt, ne caro putrefaciat. Carnem autem hanc aut elixam, aut prunis assam, vel veru circumactam comedunt; artus integros ambabus manibus tenentes more leonum dilaniant, si quid ægriùs reuellatur, culcro præcidunt. *Athenaeus*.

6. Potus ditioribus vinum Italicum, ei paululum aquæ infundunt, idque *Dercoma* nominant. Item ex hordeo zythum conficiunt: Itemque multiplices potus effinxerunt ad vini formam, *Ammianus*. Sorbillant autem paulatim pitissantes.

N V M. 7. Funera.

1. Magnifica sunt; omnia quæ grata fuerunt demortuo cum eo comburuntur, imò & animalia, serui, clientes; *Cesar*.

2. Defodiunt & cum ipsis apta viuentibus; *Mela*.

3. Immittunt epistolas in amicorum pyram, & aliquando se in eam præcipitant; *Diodorus*.

4. Reseruabant exactiōnē crediti, & mutui ad inferos; *Vale-rius Max*.

5. In Busto virorum fortium pernoctabant, & inde oracula capiebant, *Tertullianus*.

§. 5. Merces Galliæ.

1. LINVM ad vela conferenda, *Strabo & Plinius*.

2. Pernæ exquisitissimæ *Athenaeo & Varroni*; hīc enim altitudine sues præcellunt. Item afferebantur Romam, *Varrone teste*, cum